

§. 16. *Qui potest A. B. C. D. creare, ille etiam omnia potest creare.* Ad id enim, ut aliquid ex possibilitate in actum immediate ducatur sive creetur §. 8. 12. requiritur vis actuatiōni sufficiens & proportionata §. 6. Ubi ergo est vis determinata sufficiensque ad actuandum, ibi etiam sequitur actuatio ipsa. §. 6. Possibilia A. B. C. D. imo omnino omnia actuanda respectu possibilitatis inter se sunt paria, nihil enim in uno plus cogitari potest, quam in altero, præterquam metabasis & transitus in regnum existentiae §. 8. Eadem vis ergo, quæ potest A. B. C. D. creare, omnibus possibilibus creandis sufficit.

§. 17. *Solus Deus potest creare.* Creatio supponit facultatem omne possibile actuandi §. 16. hæc vis ac facultas est omnipotentia divina, virtus soli Deo propria (per princ. Theol. Nat.) Ergo soli Deo competit potentia creatrix.

§. 18. *Anima a Deo solo creatur.* Cum anima nec per se §. 7. nec ex se §. 15. oriatur, adeoque immediate oriatur sive creetur: Solus vero Deus creare possit §. 17. Anima erit a Deo immediate producta id est creata §. 12.

Lactant. Lib. III. de Opif. Dei c. 19. inquit: *Corpus ex corporibus nasci potest, quoniam conferatur aliquid ex utroque: de animis anima non potest, quia ex re tenui & incomprehensibili nihil potest decedere. Itaque ferendarum animarum ratio uni ac soli Deo subjacet.* Conf. Prudent. Apotheos. v. 983. §. 19.